



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Qvænam Objecta cognoverit Christus per Visionem beatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

finalis, & finis est, effectus medij ingenere causae efficientis vel materialis. Est ergo neganda maior propositio objectionis. Sed claritatis gratia distingui potest, in eodem genere effectuum, conceditur: in diverso genere effectuum, negatur maior, & distinguitur minor. Praemium semper & universaliter est fructus meriti tanquam causae efficientis, negatur min. vel tanquam causae finalis, conceditur minor. Et negatur consequentia, vel etiam distinguitur: ergo meritum non potest esse fructus praemij in eodem genere effectuum, conceditur, in diverso genere, negatur consequentia. Et haec sunt quae mihi contra nostram sententiam opponi posse videntur.

365. Placet Coronidis loco apponere argumentum pro nostra sententia, quod saltem ad hominem potest vim habere, nempe contra illos, qui concedunt B. Virginem non solum non incurrisse peccatum originale, sed nec debitum illius: & concedunt praeterea, Christum non fuisse venturum si Adam non peccasset, adeoque nul-

lum Christi meritum fuisse prius naturae peccati Adami, aut pacto inito cum Adamo. Haec suppositis

Argumentor hoc modo. Exemptio B. Virginis à communi pacto facta tunc est, quando ceteri homines fuerunt illo pacto cum Adamo inito comprehensi & inclusi: & quidem hoc exemptio respexit determinatam personam & individuum B. Virginis, alioquin essent in Deo pendenda decreta disjunctiva una cum determinatis, quod nos non admittimus: atqui respectu illius temporis quo facta est hac exemptio & pactum, non habuerunt merita Christi prioriter naturae, ergo illam exemptionem non promeruit Christus merito attractivo seu impetratorio: atqui illi aliquo modo promeruit, quia hoc modo B. Virginem redemit: ergo non nisi merito compensativo, quatenus Deus omnia uno indivisibili decreto ordinavit tandem ad gloriam Christi, in modo quo in primo libro tract. de Prædicatione explicatum est.

CAPUT VIII.

DE SCIENTIA CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

Quenam objecta cognoverit Christus per Visionem Beatam.

Supponendum est in Christo fuisse Visionem Beatam etiam ante resurrectionem. Colligitur ex Jo. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* testabatur autem ibi de Baptismo qui confertur in nomine Sanctissimae Trinitatis. Jo. 1. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quibus verbis excipit Joannes Christum à communi conditione hominum, quibus non est datum videre Deum. Ratio autem est, quia Visio Dei non fuit Christo collata in praemium, sed illi data est tanquam debita Filio naturali: item debebatur illi hereditatis possessio, quia mors Patris non erat expectanda, sicut expectanda est in humana successione. Denique Visio Beata non pendet ullatenus ab organis, nec à speciebus impressis, ac proinde nec impeditur, nec promovetur ab aliqua corporis dispositione: ergo danda erat statim ab initio, ut etiam in hoc Christus excederet Angelos, qui non nisi brevissimo tempore eam caruerunt, quia eam promeruerunt. Nunc

Quaritur, Vtrum Christus per Visionem Beatam cognoverit omnia futura? Negant Ri-

chardus, Bonavent. Scotus, Gabriel, apud Suarez d. 26. l. 3. contra quos

366. Dicendum est 1. Christus videt in Verbo per Visionem beatam futura omnia, in quibus non est specialis repugnantia. Conclusio procedit de illa visione, quae est essentialiter beatificans, hoc est, ostendens omnia primaria tributa Dei. procedit item ex suppositione scientiae, quod Scientia Visionis sit Deo adaequata intrinseca.

Probatum Conclusio. Alijs beatis hoc tribuitur, quod videant in Verbo omnia quae ad gloriam suam pertinent: ergo idem Christo concedendum est: atqui visio futurorum pertinet ad statum Christi, utpote qui erat constitutus in Verbo, Dominus, Iudex & Gubernator omnium: ergo &c.

367. DICO 2. Repugnat, omnia futura videri in Verbo per illam ipsam indivisibilem Visionem Beatam, quae videt primaria Dei attributa. Probatum, supponendo, hanc Visionem esse in Christo directivam actuum moralium, eo quod semper moveat ad amorem Dei aliarumque virtutum & actus perfectos exercendos, quamvis diversis

tionem: nam ad amorem Dei necessitat, ad actus aliarum virtutum non necessitat. Hoc posito probatur Conclusio. Si Visio beata videret pro priori naturæ actus liberos à Christo exercendos, & omnia inde secutura, jam hoc ipso illi actus non essent liberi, sed necessarij necessitate antecedente: quia illa Visio esset infallibilis, impedibilis, determinata ad unum ex contradictorijs: atqui in Christo dabantur actus liberi: ergo aliqua objecta futura non videntur à visione Beata indivisibili, & quæ terminatur ad primariam Dei attributa.

DICO 3. Vider tamen Christus etiam hæc objecta futura per aliam visionem, non directivam actuum liberorum, & impedibilem per actus oppositos. Ratio est, quia etiam horum visio ad statum illius pertinet. Dubitatur tamen, qualis sit hæc visio, an videat actus liberos directè & in seipsis, vel etiam in Verbo. Censeo videri in Verbo, & in ipsa Scientia Visionis divinæ: quæ cum in mea sententia ne quidem virtualiter intrinsecè distinguatur à Decreto Prædefiniente, possunt videri in decreto Prædefiniente, quod etiam docuit P. Ant. Perez.

CONTROVERSIA II.

An in Christo fuerit Scientia per se infusa.

368. Præmittendum est 1. quid per Scientiam infusam intelligatur. Scientia infusa in genere, prout abstrahit ab infusa per se, & infusa per accidens, est habitus cognoscitivus, absque ministerio actuum præcedentium à Deo collatus. Dividitur autem in Scientiam infusam per se, & Scientiam infusam per accidens. Illa dicitur Scientia per se infusa, quæ ex sua, & ipsius etiam subiecti natura petit infundi, sine omni ministerio actuum præriorum. Sic Angeli petunt habere species per se infusas, quæ illis debentur absque actibus prævijs, modò magis, modò minus universales, secundum diversam perfectionem Angelorum. Scientia per accidens infusa est, quæ connaturali cursu rerum servato, solet & potest comparari per actus frequentatos, & independentes ab his prævijs non debetur subiecto, sed tamen hic & nunc miraculosè infunditur. Sic Adamus creditur à principio suæ creationis habuisse omnes Artes & Scientias in gradu excellenti sibi infusas, quas nos in gradu multum inferiore, non nisi magno labore comparamus.

Præmittendum 2. Scientiam per se infusam differre à Visione Beata in hoc, quòd per suos actus tendat directè in ipsas creaturas: Visio autem beata tendat immediatè & directè in Deum tanquam objectum formale motivum, & medium in quo cognoscantur creaturæ tanquam termini.

Præmittendum 3. Eandem Scientiam infusam differre à nostris scientijs acquisitis per hoc,

quòd illa tendat in suum objectum, sine vlla necessaria conversione ad phantasmata & imaginationes, adeoque independentè ab his operetur. Est igitur modus illius cognoscendi similis modò cognoscendi Angelorum & animæ separatae.

Præmittendum 4. Scientiam infusam aliam esse naturalem, aliam supernaturalem. Naturalis est in Angelis & animabus separatis, in ordine ad cognoscenda illa objecta, quorum cognitio illis debetur naturaliter. Supernaturalis est, cujus virtute eliciuntur actus Supernaturales immediatè circa creaturas, sine dependentià à phantasmate. His suppositis

369. Dicendum est, animam Christi statim ab initio conceptionis habuisse Scientiam infusam per se, tam Naturalem quàm Supernaturalem, & cognovisse ea objecta, quæ ad statum Christi pertinebant, & per talem Scientiam cognoscibilia erant. Quæ autem illa fuerint, examinare hæc non pertinet. Probatur Conclusio. Quia Christo tribuenda est plenitudo Sapientiæ & Scientiæ, II. 11. *Flos de radice esu ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intelligentiæ, Spiritus Consilij, Spiritus Scientiæ*: quæ verba intelligunt Patres de donis intellectualibus Spiritus Sancti.

370. Obijcies 1. Conjunctio animæ cum corpore repugnat modò cognoscendi, qui proprius est Scientiæ per se infusæ: ergo non potuit Christus eam habere in statu Viæ. Antecedens probatur. Nam anima unita corpori dependet in operando à phantasmate: atqui scientia per se infusa operatur independentè à phantasmate; ergo repugnat. 2. Distinguendo antecedens. Conjunctio cum corpore eo modo disposito, quo sunt disposita nostra corpora, repugnat modò operandi Scientiæ per se infusæ, concedo antecedens; aliter disposito, nego antecedens & consequent. Posset etiam primum membrum distinctionis subdistingui; repugnat connaturaliter, concedo: de potentia absoluta, nego. Connaturaliter quidem repugnat; quia connaturaliter anima prius erumpit in operationes phantasticas, tanquam faciliores, & circa objecta vehementius & immediatius applicata; à quibus deinde determinatur, ut se ad illa phantasmata convertat operando spiritualiter; supernaturaliter autem potest illa præventio impediri. Caterùm licet Christus non habuerit in viæ corpus gloriosum, habuit tamen, (opinione multorum) corpus ita dispositum & temperatum, ut non impediret cognitionem Scientiæ per se infusæ, vrpote quæ non exigebat aliam objectorum applicationem, mediantibus sensibus faciendam. Nihilominus cum hac ipsa Scientiæ infusæ cognitione poterant consistere sensationes, nec erat opus extasibus, & raptibus, seu alienatione à sensibus. Videtur hoc sibi voluisse P. Antonius Perez, quando docuit, originalem causam quare nostra anima in corpore pendeat in operationibus suis à phantasmate, hanc esse, quòd nostrorum corporum dispositio